

Vg
1213



Q
E
TI
ten
nus
uis
fer
f

E

Neg

Fily

Si



Q. 214. 13.

EXPLICATA

TIO GENERALIS SENTENTIAE, Quod e duobus malis minus sit eligendum, ex qua facile quisvis intelligere potest, quid in praesenti de adiaphoris controuersia sequendum aut fugiendum sit, per M. Ioachimum VVestphalum Hamb.

V
g
1213

Et quaedam contra Lipsensem Basilium.

Apoca. 3.

Necque frigidus es, necque calidus, utinam frigidus esses, aut calidus.

Psal. 78.

Filij Ephraim armati iaculantes arcu uertunt terga in die belli.

Ebre. 10.

Si quis se subtraxerit, non placebit animae meae.

Anno 1549.





VI HOC TEM

pore dant & sequuntur per uulgatum illud consilium tanquam oraculum, ut in cæremonijs seruitus feratur, multum usitato illo dicto nituntur. Quod e duobus malis, alterum quod leuius est, sit eligendum, ut quod grauius est, uitari possit.

Leuius esse malum opinantur, reiectas iam longo tempore cæremonias admittere, quam illis repudiatis Ecclesijs relinquere. Ideo hoc dissuadent & improbant, illud suadent & probant.

Si autem generale dictum distinctè explicetur, manifestum erit, nihil mali ex cæremonijs reiectis, ex receptis uero prouenire plurimum.

Cum duplex sit malum, alterum pœnæ, alterum culpæ, Ambigua est sententia, E duobus malis minus esse eligendum: potest enim intelligi de malo pœnæ & de malo culpæ.

Si intelligatur de pœnis, in confesso est leuiiores & mitiores pœnas ferendas, & si duæ aut plures concurrant, nec fugiendi omnes copia detur, quò grauiiores euitemus.

Grauiiores pœnæ rectè euitantur, & mitiores feruntur hac lege, si ita grauiora mala euitari possint.

sint, ne in culpam incidamus, si non peccemus in Deum, nec grauiiores poenas accersimus nobis & alijs.

Neq; enim mala poenae & pericula rectè pieq; quisq; amolitur in Deum peccando.

Hic melius est in se suscipere poenas & pericula maiora, quam Deum offendere, & offensione Dei iram ipsius prouocare.

Si dictum intelligatur de malo culpae, hoc est, de duobus aut pluribus peccatis, tum praeccepta Dei prohibent in ullam partem peccare.

Deus enim requirit obedientiam totius legis & transgressionem in omnibus praecceptis prohibet, non permittit, ut leuiora peccata admittantur & grauiora uitentur.

In ciuilibus locum habet haec sententia, eatenus, quod magistratus tolerat quaedam mala & uitia, quae tollere è medio omnino non potest.

Timentium Deum est, ita se parare & componere, ut in omnibus Deo obediant, recta faciant, & nullis sceleribus & malefactis se polluant.

Si uero dictum usitatum accipiatur de duobus malis, quorum alterum est poenae, alterum culpae, minus malum, poenae scilicet, eligendum est, Et grauius malum, culpae scilicet, est uitandum.

Cum poenae & pericula remoueri non possunt absq; inobedientia & culpa, melius & leuius est, non

tantum duo, sed multa potius sustinere mala, multa
subire pericula, quam uel minimum Dei mandatum
præuaricari & unius peccati culpa se astringere.

Impium est amoliri pericula per peccata, nec
ita remouentur aut minuuntur, sed accersuntur &
augentur pœnæ.

His ita distinctè explicatis, & extra contro-
uersiam positis, nunc id, quod proprie in questionem
uenit, constituamus.

Malum culpæ aut est in seruitute, quæ in Cæ-
remonijs ferenda suadetur, aut est in libertate, quæ
seruitus imposita reijcitur, & à functione ministerij
disceditur.

Aut peccant qui suadent, & ferunt seruitutem,
aut qui dissuadent & ferre renuunt.

Aut peccant, qui manent in ministerio, imposi-
tasq; cæremonias recipiunt & administrant, aut pec-
cant, qui discedunt, & eas administrare nolunt. Si
seruitus habet coniunctam culpam, ferenda non est
nec suadenda.

Si libertati coniuncta est culpa iustum est ea
abstinere, & seruitutem ferre.

Porro seruitus culpa uacat, quæ in licitis se-
cundum Dei uoluntatem & uerbum seruit, sine im-
pietate, superstitione, scandalo, absq; Ecclesiæ per-
turbatione & deformatione, absq; Euangelij contu-
melia & negatione, hostium confirmatione, liberta-
tis uiolatione.

Sed ser-

Sed seruitus quæ nunc suadetur & recipitur
in cæremonijs olim reiectis, non uacat culpa. Impli-
cita est pluribus peccatis, fertur enim cum scandalo
& coniunctis alijs malis enumeratis.

Cæremonia, quæ imponuntur, aut sunt per se
impia, uel impia opinione imponuntur, uel sunt su-
perstitiosæ, quæ seruiuerunt superstitioni, eamq; se-
cum trahunt & facile inuehunt, uel sunt scenici &
inepti ritus, qui non seruiunt ad ædificationem, nec
digni sunt Ecclesia Dei, uel si quæ cæremonia opti-
mæ sunt, tamen hoc tempore pariunt scandala, &
schismata, dubitationem, languefactionem, adferunt
ludibrium & contumeliam repurgatæ doctrinæ, re-
pugnant confessioni, aduersarios confirmant.

Hæc grauißima sunt peccata, quorum se reos
constituunt authores & suasores mutationis præ-
sentis status Ecclesiarum.

Nunc si usitata regula ualere debet, certe hæc
mala sunt fugienda & potius eligenda & sustinen-
da quæuis mala & pericula.

Omnia enim leuiora sunt quàm hæc, quæ dixi-
mus peccata.

Cæremoniarum receptores tantum externa pe-
ricula bellorum & dissipationum commemorant,
alia silentio prætereunt.

Iam si seruitus implicita est tot peccatis, liber-
tas certe uacat culpa.

Si peccant imponentes & ferentes seruitutem non imponentes sed excutientes culpa carent, nec sunt accusandi desertionis crimine, quod discedere malunt, quam iugum seruitutis coniuncto scandalo, & multiplici prauaricatione ferre.

Discedere ab administratione Ecclesiae, uel in ea manere, utrumq; caret reprehensione, si iustis de causis fiat, utrumq; reprehensionem meretur, si iniustis de causis fiat.

Iniuste causae sunt, manere in administratione Ecclesiastica, uel ex carnali metu periculorum, uel ex philautia & carnali studio id facere. An autem hoc tempore his de causis seruitus suadeatur & feratur in Papisticis caeremonijs, non est, cur multis disceptetur & probetur, res ipsa satis loquitur.

Et ut alia praetereamus argumenta, unum id satis demonstrat ex carnali timiditate & metu seruitutem suaderi & ferri. Quod faciunt id coacti, ab impijs aulis seruitute in gratiam impiorum imposita, eo consilio, ut sic paci consulatur, & irae ac bella potentum cohibeantur.

Si aulae & ij quibus aulae subseruiunt, non cogent, tam non ferrent & suaderent nunc seruitutem, quam antea non tulerunt nec suaserunt. Cum itaq; sint iniuste causae manendi, iustissimas causas esse discedendi, negari uere non potest.

Manendam quidem est, & mutationi resistendum.

dum, & imposita seruitus repudianda, utrumq; factu opus est.

Si utrumq; fieri non potest, si manendi copia penitus non datur reiecta seruitute, ministri honeste se abdicant à suo ministerio & discedunt, praesertim si proscriptione uel uolentia eijciantur.

Si ex discessu eueniunt mala, non fit id per se, sed per accidens. Si fit solitudo in Ecclesijs, si ingrediuntur lupi, & oues dispergunt, non in culpa sunt qui discedunt, sed qui seruitute & consilijs suis discessus & solitudinis causas praebent.

Nam & qui faciunt iniusta & qui consentiunt aut adiuuant, pari adstringuntur culpa.

Etsi quidem pastores discedentes relinquunt alibi Ecclesias, tamen non deserunt.

Sed maxime presto sunt Ecclesiae, etiam cum eiecti per impiam seruitutem discedunt non male, sed optimè de Ecclesijs Christi merentur.

Adsunt enim Ecclesijs, eas adiuuant, confirmant et conseruant sua sancta constantia, confessione, oratione, patientia, iactura quietis, gratiae mundi, & aliorum commodorum, quae retinent, qui se & alios implicant seruitute.

Tantum illi profunt quantum hi obsunt, tanta beneficia in Ecclesias conferunt, quantum hi mali faciunt.

Et ut utriusq; partis beneficia ac malefacta &

peccata cognoscantur, ex aduerso in conspectu pro-
ponere libuit arborem bonam cum fructibus bonis,
& malam arborem cum fructibus suis malis.

Serui papisticarum Libertatis uindices
cæremoniarum. Christianæ & con-

Trepidant & suo pa- Præsto sunt & defen-
trocinio oues destitu- dunt oues.
unt.

Introumittunt in ouile Arcent & repellunt lu-
lupos. pos.

Authores sunt inclina- Defectioni resistunt.
tionis & defectionis ad
aduersarios.

Papatum restituunt, aut Papatum profligant &
certe adiuuant. euertunt.

Abusibus & superstiti- Omnem aditum clau-
onibus aditum patefa- dunt, reditum impedi-
ciunt, & reditum pa- unt.
rant.

Prostituunt Ecclesias et Ecclesias puras & illi-
polluunt impuris cære- batas conseruant.
monijs papatus.

Schismata excitant, con- Concordiam fouent &
cordiam scindunt. stabiliunt, schismata amo-
liuntur.

Scan=

Serui papist: cære-
moniarum.

Scandala præbent.

In dubiũ uocant totam
doctrinam eiꝫ fidem
abrogant.

Contristant & frangũt
animos piorum.

Libertatem Christi san-
guine partam imminu-
unt.

Seruitute implicant.

Negant, & contraria
confessionis faciunt.

Nutant & uacillant, ut
arundo.

Bonos pastores Ecclesia-
rum expellunt.

Nomẽ Christi & Euan-
gelij deformant et sor-
descere faciunt.

Student hominibus pla-
cere.

Expauescunt & hor-
rent hominum iras, qui

Affertores Christi: li-
bertatis.

Scandalis obsistunt.

Veritatem & certitudi-
nem doctrine tuentur
& obsignant.

Animos exhilarant &
erigunt.

Consistunt in libertate,
eamq; tuentur.

Seruitutis iugum repel-
lunt.

Confitentur, & opera
confessionis faciunt.

In domino confidunt &
sunt sicut mons Sion.

Fideles pastores quantum
in ipsis est retinent.

Nomen Christi & Euan-
gelij ornant.

Student placere Deo.

Timent eum, qui potest
corpus & animam in ge-

A S

possunt

passunt corpus occi- hennam conijcere.
dere.

Auertunt pericula & Spiritualium & eterno-
damna rerum caduca- rum bonorum iacturam
rum. cauent.

Putant se posse conser- Cælestia & æterna bona
uare terrena bona. conseruant.

EPISTOLA CVIVSDAM Alterius.

SAlutē. Petis frater in Christo charissime, ut ti-
bi paucis, quid de Epistola Hamburgensi, eiusq;
responsione sentirem, significem. Faciam, idq;
breuiter. Mihi cum primum utranq; Epistolam per-
legi, id perabsurdum uisum est, quod cum prior sit
quæstio, cupit enim sibi explicari doctrinam de adi-
aphoris, & conscientias adiaphororū laqueis intri-
catas euolui, sanariq;, altera uero sit ad quæstionem
respōsio, melius tamē in quæstione sit ea materia ex-
plicata quam in responsione. Sunt enim in ea pro-
be distincta adiaphora in uera, falsa, et impia, osten-
sum quoq; est quanta incommoda, & scandala præ-
sentem adiaphororū receptionem sequantur. In al-
tera uero Epistola non uideo, quid explicate de re
dictum sit. Itaq; etiam magis miseris conscientias
tenebris

tenebris inuoluit, & sauciat. Quare mihi eam legenti idem, quod Terentiano illi Demiphoni accidit, nempe ut incertior factus sim multo, quam antea cum quaestionem legissem.

Id tamen in ea Epistola recte obseruari potest, quod dicit gubernatores conari restituere caeremonias, & umbras disciplinae, non res ipsas, & quod voluntates multorum eo spectent, ut inclinationem ad omnes pontificios abusus (Sic enim habet exemplar Hamburgam missum) faciant. Item fieri a potentibus instaurationem ineptorum rituum, ut paulatim omnes superstitiones instaurentur. Talia sunt & illa in praefatione ordinationis, seu nouissimi Interim, quod per istas mutationes werden die Pfarrer vnrüchicht / vnd würden viel zerüttung daraus folgen / Item illa in scripto de adiaphoris, quod per praesentes mutationes confirmantur impij, ita ut triumphent, contristentur, languescant, & in dubitationem inducantur pij.

De istis tantis malis, cum aliquae piae conscientiae magnopere crucientur, gemant, & querantur, atq; adeo Christiane autores tantorum scandalorum moneant, nequeo satis mirari, quod iste Lypsensis Basilius adeo inhumaniter eas excipiat, adeo confidenter praesentes religionis corruptelas excuset, adeo lamentabiliter quiritetur, tanquam ingenti iniuria praesentis

ria præter omne suum meritum sit affectus, sintq; ista ingentia mala, quæ modo recensuimus, uix festu-
cæ quædam minutissimæ in eius oculis, & deniq; adeo in odium trahat syncere monentes fratres, tan-
quam defectionem ad hostes molirentur, & religio-
nem Christianam papistis proderent.

Requirit in eis charitatem, quasi hoc non sit summum charitatis officium conari impedire, ne prædictis pestib. & Lypsicis Interim fratres nostri in Christo perdantur, aut quasi ipse charitatem debi-
tam proximo præstet, cum fateatur confirmari per istas mutationes impios, ita ut etiam triumphent, qua ratione efficit, ut & furiosius Euangelium Christi aboleant, & miseros Christianos audacius trucident, atq; ita se, suas manus, & conscientiam Christiano sanguine polluit. Multo uero minus præstat charitatem, cum pios contristat, languescit, & in dubitationem inducit. Sic enim ipsas animas Christianorum iugulat, seq; eorum æterni exitij reum facit.

Accusat etiam præcipitantiam in iudicando, iubet rem prius recte explorare, & tamen hoc unice agit cum suis, ne quisquam intelligere possit, quid agatur. Quis dubitat, quin ideo de industria præsentis actiones in istis hispanicis conuenticulis clam agantur, ut ueluti laqueus prius gutturi Ecclesiæ iniiciantur, quam quisq; animaduertere, aut præca-
uere possit.

uere possit? Quam iniquus quæso est, quod in hoc tanto incendio Ecclesie moram, cunctationem, & negligentiam flagitet, cum & ista crebra, clandestinaq; conuenticula facile indicent aliquid monstri ab eis ali, & ipse subinde in suis dictis, & scriptis à se excitati in domo domini ignis (ut modo iudicatum est) fumum fateatur, & iam undiquaq; ruentis ex isto incendio templi domini fragor exaudiatur.

Scilicet igitur cū penitus Ecclesia conflagrauerit, tum demum incendio resistemus, Principijs obstare iubet oratio in D. Isideri promotione recitata isti Basilio nimium quàm dissimilis.

Ego uero tibi uerum fatebor, nunquã potui probare istas conciliationes Christi, & Belial, neq; hoc tempore, neq; anno 30. quo tempore si R. P. Martinus Lutherus Doctor $\tau\acute{\alpha}\nu\tau\omega\rho\ \acute{\upsilon}\pi\epsilon\rho\acute{\alpha}\zeta\iota\omicron\varsigma\ \acute{\alpha}\lambda\lambda\omega\rho$, & uere unica columna Ecclesie, & ueritatis, fieri istas pacificationes permisisset, hætenus per istam nostram philosophicam sapientiam nemicam quidẽ puræ doctrine recinuissemus.

Declamitat insuper contra nõ necessarias separationes. Quis se iam separat? Saxonice & Turingice Ecclesie nihil inouant, manent, & manere cupiunt in eodem statu, in quo antea fuerunt, & quem isti ipsi Basiliij prius summe probarunt. Idem & Mysnice ex animo cupiunt, si eis per istos Basilios liceat.

liceat, quis igitur tandem aliquid noui inchoat?
quis se ab istis Ecclesijs Christi separat? nempe In-
terimista, & adiaphorista (ut etiam scriptum de
adiaphoris fatetur, presentes actiones significare
inclinationem ad aduersarios) qui quò crucem effu-
giant, se Pilato, & pontificibus amicos simulant,
maluntq; cum impijs Ecclesias Christi persequi, &
Christianos trucidare, seq; eorum sanguine pollue-
re, quàm cum Christi Ecclesijs pati. O uerè non ne-
cessariam, imo potius impiam sceleratam, & aeterno
Dei iudicio condemnandam separationem.

Is se à piorum coetu separat, qui *verwagt* in-
cipit confirmare ita aduersarios, ut etiam trium-
phent, & languescere pios, is deficit, isq; est ouicu-
la, temere & audacter ab ouili Domini discedens,
ac extra caulam secure uagans, lupoq; magis iam,
quam pastori addicta.

Fatentur (ut superius indicatum est) quod ex
presentibus mutationibus *werden viel zerrüt-
tung folgen* / idq; experientia ipsa omnium max-
ime confirmat, & tamen pulchre de concordia, &
unitate garrire, eiusq; perturbatores duriter accu-
sare audent. O fortem conscientiam, & durum os,
quod propria crimina alijs tribuere non ueren-
tur.

Est præterea in isto Basilio, quæ nos bona con-
scientia agimus, quod est falsissimum si ea uera sunt,
quæ ante

que ante paucos menses ex eius proprio ore sepe
audita sunt, quæq; suo loco, si res postulabit, expli-
cabuntur prolixius.

Ait quoq; Basilius, se paratum probare, se ne
apicem quidem in doctrina negligere. Inueniat igitur
in scriptis, in quibus articulum de iustificatione,
fide & bonis operibus ad Episcoporum palatum re-
coxit, propositionem, Nos sola fide iustificari, aut
per solum Christum iustificari.

Vult quoq; fieri omnia omnibus, ut omnes Chri-
sto lucretur, atq; ideo se ad papatum inflectit, ut pa-
pistas lucretur, pulchre sane lucrabitur papistas, si
uerum est, quod dicit scriptum de adiaphoris, per
istas actiones ita confirmari eos, ut triumphent, quod
etiam experientia oculis nostris ostendit. Itaq; ser-
mo istius Basilij est in hac parte $\mu\alpha\lambda\alpha\delta\acute{o}\tau\alpha\sigma\omicron\varsigma$, quan-
doquidem est $\acute{\alpha}\mu\omicron\iota\gamma\omicron\varsigma \pi\gamma\alpha\acute{\xi}\epsilon\omega\mu$, Vel potius res con-
trario modo se habent. Est igitur secundum pro-
prium os iudicandus, ut scilicet ex falsitate rerum
uanitas horum inanium pigmentorum iudicetur, &
derideatur.

Vult etiam nos tempori seruire. Verum apud
Paulum tempori seruire non significat idem quod
seruire scenæ, id est, pro ut alius princeps succedit,
ita & religionem ad eius palatum inflectere, aut in
rebus secundis strenue declamare contra papistas,
tempore crucis uero discedere à Christianis in cruce
pendenti

pendentibus, simulare se papistarum amicissimū esse
(iuxta illud pacem habentes cum omnibus) paratū
se esse ad cœdendū, et clamare ad Christianos in cruce
pendentes, uos stoici, duri, horridi, θεαοὺς εἰδέναι
fortes usq; ad ancillæ uocem, ἢ vngestū me leuare
quare non ceditis, & conceditis propter commur-
trantiam tranquillitatem? merito punimini.

Si iste Basilius uellet iam pie, & secundum Pa-
laminam sententiam seruire temporis, adhortaretur ad
constantiam Ecclesiam in cruce pendentem, conf-
laretur, & confirmaret eam, & non lingue sacerdotis

Hæc extra propositum tibi dilectissime frater
scribo. Nescis enim, quam ingenti dolore cruciem
cum cernam eos tam artificiose pingere istas concu-
liationes Christi & Belial, quorum fuisset officium
fucos insidiosæ isti pacificationi illitos etiam pro-
prio sanguine detergere. Sed iam ad Epistolam red-
deo. Hæc sunt, quæ recte obseruari in ea responsione
possunt, cœtera, (ut uno uerbo dicam) piscatio sepiæ
sunt. Sed clare cernit Deus omnia uindex. Domini-
nus Iesus conseruet religionem, & Ecclesiam suam
quia uere omnes amici eius præuaricati sunt
contra eam, nec est, qui pugnet pro
ea. Bene Vale.

Sepia of-
fundit
piscatori
atramen-
tum.


ū effo
rati
in
leu
ur

n Pa
tur
conf
cer

frater
ucien
conca
ficium
proc
im ren
nsion
sepia
domin
suam
nt

X 220.5922





Wr. 214. 13.



EXPLICATIO

TIO GENERALIS SENTENTIAE, Quod e duobus malis minus sit eligendum, ex qua facile quisuis intelligere potest, quid in praesenti de adiaphoris controuersia sequendum aut fugiendum sit, per M. Ioachimum Westphalum Hamb.

Et quaedam contra Lipsensem Basilium.

Apoca. 3.

Nec frigidus es, nec calidus, utinam frigidus esses, aut calidus.

Psal. 78.

Filij Ephraim armati iaculantes arcu uertunt terga in die belli.

Ebre. 10.

Si quis se subtraxerit, non placebit animae meae.

Anno 1549.

